



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

62. Non sine ingenti &c. Declaratio nullitatis, Damnatio, Abolitio, &
reprobatio cujusdam Edicti à Laicali potestate editi super censuris
Ecclesiasticis à R. P. D. Petro Secundo Episcopo Casalen. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

I N H I B I T I O

LXI.

Extractionis librorum, & quinternorum Bibliothecæ Conventus S. Mariæ Majoris Tyburis Ordinis Fratrum Minorum Observantium S. Francisci extra ipsum Conventum, absque auctoritate Apostolicâ, sub censuris, & pœnis.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut dilecti Filii Fratres Conventus S. Mariæ Majoris nuncupat. Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ etiam nuncupat., ac Officiales Magistratus Civitatis nostræ Tyburtinæ Nobis nuper exponi fecerunt, aliâs Venerabilis Frater Michael Angelus Episcopus Tragurien. in Minoribus constitutus magni momenti Bibliothecam in prædicto Conventu in eorumdem Fratrum beneficium, tum etiam ad Civium, & Exterorum commoditatem instituerit; ac propterea ipsi Exponentes eorumdem librorum conservationi, & mantentioni opportunè à Nobis provideri plurimum desiderant; Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innotatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, ne de cætero quisquam etiam quâvis auctoritate, superioritate, officio, vel dignitate fungens, libros, codices, scripturas, quinterna, vel folia tam manu exarata, quam typis impressa, aut alia quæcumque eidem Bibliothecæ per memoratum Michaelum Angelum Episcopum hæcenus quomodolibet donata, & assignata, seu per eum, vel quoscumque Christianos impofterum quancumque donanda, & assignanda, ex ipsâ Bibliothecâ sub quovis quæsto colore, pretextu, ingenio, causâ, vel occasione extrahere, vel asportare, aut ut extrahantur, vel asportentur, permittere, vel consentire audeat, seu præsumat, sub excommunicationis lætæ sententiæ, à quâ nemo absolutionis beneficium à quoquam, præterquam à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, valeat obtinere, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ pœnis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò prohibemus, & interdicimus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, dictorum Conventus, & Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque. Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd præsentis Prohibitionis exemplum in valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio conspicuo illius loco, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affixum assidue remaneat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Maii MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

F. Oliverius.

D E C L A R A T I O

Nullitatis, damnatio, abolitio, & reprobatio cujusdam Edicti à Laicali potestate editi super Censuris Ecclesiasticis à R. P. D. Petro Secundo Episcopo Cafalen. adversus Comitem Jacobum Nemours promulgatis: cum variis ordinationibus pro exactâ Censurarum hujusmodi observantiâ, donec vel ab habente legitimam ad id facultatem absolutio ab eis concessa fuerit, vel illæ nullæ, aut injustæ à competenti Judice Ecclesiastico fuerint declaratæ; ac insuper cum Decreto, quod ii, qui aliâs, videlicet ratione præfati Edicti eadem Ecclesiasticas Censuras quovis modo incurrerunt, post debitam Ecclesiæ præstitam satisfactionem, nonnisi à Sede Apostolicâ absolutionis beneficium obtinere valeant.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Non sine ingenti animi nostri mœrore novissimè accepimus, quòd cum nuper, nempe mense Junio proximè elapso, Venerabilis Frater Petrus Secundus Episcopus Cafalenis Divini honoris zelo ductus, palam excommunicaverit, seu in majorem excommunicationem incidisse, adeoque ab omnibus vitandum esse declaraverit Comitem Jacobum Nemours, eo quia ipse, dum solemnem Supplicatio, seu Processio Sanctissimi Corporis Christi in Civitate Cafalen. habebatur, non tam loci, ac temporis, quam reverentia Episcopali Dignitati debitæ immemor, & quod longè deterius est, ipsi quoque Sanctissimo Eucharistia Sacramento debitæ venerationis oblitus, excitationibus inanibus, & importunis contentionibus, ejusdem Supplicationis progressum abruptere ausus fuerat.

§. I. Et quamvis à præfato Petro Secundo Episcopo idem Sanctissimum Sacramentum deferente piis, paternisque vocibus admonitus, atque etiam rogatus, ut à proposito desisteret, obortamque in Populo, qui frequentissimus ad illam sacram functionem confluerat, gravem offensionem, publicumque scandalum submoveret, ejusdem Præsulis auctoritatem in oculis omnium temerè oppugnare, & quam illi præstare tenebatur, obedientiam pertinaciter detrectare non erubuerat: Sæcularis potestatis illarum partium Officiales, seu Administri, cæco abrepti consilio, ac eorum, quæ memoratus Antistes, ut Divinum honorem, simulque Episcopalem dignitatem tueretur, egerat, odio incitati, profanas manus ad Arcam Domini extendere, & Sanctissima Ecclesiæ Instituta, præscriptamque à Canonicis Sanctionibus disciplinam penitus subvertere, ac convellere minime veriti fuerunt. Licet enim satis perspectum omnibus sit Ecclesiasticis censuris innodatos, veluti aquâ, & igne interdictos, ac tanquam putrida membra canonicæ severitatis gladio abscessa, ne totum corpus inficiant, pro veteri Ecclesiæ more, ab universis Christianis fidelibus, sub pœnis in Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus disertè præfinitis, vitandos esse: nihilominus præfati Sæcularis potestatis Officiales, seu Administri, instante potissimum, ac urgente cognominato Rivalto ejusdem Sæcularis potestatis asserto Procuratore Fiscali, eò temeritatis, & audaciæ deventerunt, ut nomine, & auctoritate dilecti Filii Nobilis Viri Victorii Amedei Sabaudia Ducis, & Pedemontii Principis abutentes, Edicto typis edito, publicèque promulgato, non modò quibuscumque personis cujusvis status, gradus, & conditionis inhibuerint, ne dicti Jacobi Comitis,

Exponit, Petrum Secundum Episcopum Cafalensem declarasse, quod Comes Jacobus Nemours censuris ob turbam Processionem Sanctissimi Corporis Christi, ac inobedientiam præfati eidem Episcopo.

Attentatum refert Sæcularis Potestatis prohibentis sub pœna mortis, ne dictus Comes censuris irretitus à Christi-Fidelibus vitaretur.

sicut

sicut præmittitur, excommunicati, ac palam denunciati consuetudinem, atque commercium, ejusmodi excommunicationis ratione, vitare audent, gravissimis, etiam mortis cuilibet, qui secus fecerit, indictis pœnis: (quâ planè horrendâ comminatione Christifideles earumdem partium in manifestum discrimen conjecti fuerunt, vel capitis pœnam subeundi, ubi ejusmodi Edicto morem gerere detrectarent, vel sanè aeternæ salutis jacturam faciendi, quatenus eidem Edicto obtemperando debitam Ecclesiæ mandatis obedientiam præstare renuerent.) Verùm etiam scandala scandalis adjicientes, eundem Petrum Secundum Episcopum (sub pœnâ occupationis, seu reductionis bonorum temporalium, tam scilicet illius patrimonialium, quam suæ mensæ Episcopalis monuerint, ut ab inferendâ ipsi Jacobo Comiti quæcumque ulteriori molestiâ omnino abstineret, ac interim præjudicium illi per dictam excommunicationem, quam nullam, injustam, ac præcipitanter promulgatam nuncuparunt, irrogatum opportunè sarciret; perinde ac si, ubi ipsa excommunicatio nulla, vel injusta foret, competentia Tribunalia Ecclesiastica non extarent, quæ de illius præterita nullitate, vel injustitiâ rectè, ac ordine cognoscere, legitimè de eâ judicium ferre possent, & aliis, prout uberius continetur in præfato Edicto, quod non alio quidem animo, quàm ut clariùs, & apertius dignosci ab omnibus possit, quàm inultati exempli, quantique horroris, & scandali illud sit, præsentibus inferendum duximus, tenoris, qui sequitur, videlicet. *Vittorio Amedeo II. per Grazia-di Dio Duca di Savoia, e Monferrato, Principe di Piemonte, Rè di Cipro &c. Ad ogni suo sia manifesto, che visita la Supplica sportata per parte del Procuratore Fiscale Generale nostro Rivalta. ed il tenor di quella ben considerato; Per le presenti, attesa l'evidente nullità, ingiustizia, e precipitazione della scomunica proferta dal Vescovo di Casale in odio del Conte Giacomo Nemours. Abbiamo inibito, ed inibiamo a qualsivoglia Persona di qualunque Stato, grado, e condizione, tanto, Sudditi, che Forastieri, abitanti in essa Città di Casale, che qualunque altro luogo de Stati nostri di evitare il commercio, e consorzio di detto Conte Nemours, sotto pretesto di tal scomunica, meno per tal causa molestarlo, nè motteggiarlo in qualunque maniera sotto pene gravi, e gravissime, eziandio della morte: Ed in oltre habbiamo monito, e moniamo detto Vescovo, ed Ufficiali della sua Curia di non solo astenersi da ogni, e qualunque ulterior molestia, ed aggravio verso detto Conte, ma ancora di dover indilatamente, ed in ogni miglior modo riparare l'ingiusta violenza, e traforso di esso con la fulminata nulla, ingiusta, e precipitata scomunica, sotto pena della reductione de beni temporali del Vescovato, e suoi. Mandando le presenti registrarsi, dichiarando l'esecuzione di queste da farsi in persona di alcuno di detti Ufficiali di detta sua Curia, o di alcuno de suoi Domestici quanto al detto Vescovo, ed all' Albo Pretorio, e Luoghi soliti di detta Città, quanto ad ogni altro, valer, ed alla copia stampata dal Stampatore nostro Prielli doversi prestar tanta fede, come al proprio Originale. che tal è nostra mente. Dato in Casale li 7. Luglio 1703. Per S. A. R. à relatione del Senato: Perronus: In Casale, per Pietro Maria Prielli Stampator Ducale: Con privilegio.*

Aliud attentatum dictæ Potestatis præcipiendo Episcopo sub pœna sequestrii Bonorum temporalium, ut ab aliis actibus se abstineret, ac præjudicium ab Excommunicatione proveniens repararet.

Tenor edicti, in quo per injuriam asseritur, præfatam excommunicationem esse nullam, & injustam, nec non præmissa omnia demandantur.

Dat. Edict.

Prosecutio præsentium literarum cum declaratione incompetentie facultatis cognoscendi de justitia, & validitate

Christifidelium scandalum tendant, animalque pretioso Salvatoris, & Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in maxima pericula adducere, & deplorandis malis involvere possint; Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris à Domino constituti sumus, ac proinde tam graves Sæcularis Potestatis abusus dissimulare non possumus, libertatem, immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam à perniciosis ejusmodi conatibus illæsam tueri, & conservare, nec non animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, nec non tam præfatorum, quàm alterius cujuscumque Senatus, Magistratus, Judicis, Ministri, Officialis, Notarii, Scribæ & aliarum quarumvis personarum in eisdem præmissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque etiam specificam, ac individuan mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentibus: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, dequè Apostolicæ Potestatis plenitudine, Edictum præinsertum, ac quæcumque in eo contenta cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsân quodcumque secuturis, nulla, irrita, invalida, injusta, reprobata, damnata, inania, & à non habentibus potestatem temerè, & damnabiliter attentata, ac de factò præsumpta, nulliusque roboris, & momenti, vel efficacæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuò fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imò nec illa à quoquam observari posse, vel potuisse, adeoque neque ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere tenore præsentium declaramus.

§. 2. Cum autem notorii juris sit nulli Laicali Potestati fas esse decernere, seu edicere, quod Censuræ ab Episcopis promulgatæ, seu declaratæ, sub obtentu, quòd nulla, vel injusta sint, attendi non debeant, ac in his, quæ ad Ecclesiasticam Jurisdictionem pertinent, Sæculi Magistratus obsequendi maneat necessitas, non auctoritas imperandi, adeoque præmissa in gravissimum

§. 3. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorè cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, prout etiam quæcumque alia præmissorum occasione in præjudicium Libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ quovis modo emanata, edita, acta, gesta, & perpetrata, cum omnibus pariter inde secutis, & quodcumque secuturis, harum seriè damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, ac omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus.

§. 4. Præterea, tametsi perfecta Cleri, Populique Casalensis pietas, & Religio spem Nobis certam ingerat; forè ut memorati Edicti nullam hæctenus, ut par erat, rationem habuerint, eoquè non attento à quâlibet consuetudine, & commercio cum præfato Jacobo Comite; tanquam verè excommunicato, ac omninò vitando, penitus ultro abstinerint, & abstinèant; nihilominus motu, scientiâ, deliberatione; ac potestatis plenitudine paribus, eundem Jacobum Comitem, tanquam verum excommunicatum, vitandum ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus habendum esse, donec, & quousque absolutionis beneficium Christianâ humilitate petierit, illudque ab habente legitimam ad id facultatem impetraverit, vel quatenus censura adversus eum promulgatæ nullæ, aut injustæ præterantur, eas uti tales à competenti Judice Ecclesiastico declarari obtinuerit, cum ante ejusmodi declarationem pro validis, ac justis ab omnibus haberi debeant, earumdem tenore præsentium decernimus, & similiter declaramus.

§. 5. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorè cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, prout etiam quæcumque alia præmissorum occasione in præjudicium Libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ quovis modo emanata, edita, acta, gesta, & perpetrata, cum omnibus pariter inde secutis, & quodcumque secuturis, harum seriè damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, ac omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus.

cenfurarum in Potestate Sæculari.

Declarat nullitatem præfati Edicti, ac omnium ex eo secutorum.

Reprobat idem Edictum.

Decernit observantiam præmissæ excommunicationis.

Mandat uni-
versis Ecclē-
siasticis, ut
servent ea, ad
quæ tenentur
erga excommu-
nicatos
denunciatos.

Reservat ab-
solutioem à
censuris,
quas incur-
rerunt au-
thores Edic-
ti, quive
auxilium
præstiterunt.

Alias poenas
reservat con-
tra prædictos
Ecclesiasti-
cæ libertatis
Violatores.

Decreta ro-
borantia cum
clausula su-
blata, & irri-
tante.

§. 5. Quocirca universis Presbyteris, & Clericis tam secularibus cujuscumque gradus, præminentia, & dignitatis fuerint, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, regularibus in Divinis ministrantibus harum serie districtè præcipimus, & mandamus, ut quatenus prædictus Jacobus Comes ad eorum Ecclesias, seu Oratoria accedere, ibique divinis Officiis, aliisque sacris functionibus interesse præsumeret, cum eo ita se gerant, quemadmodum ex Sacrorum Canonum præscripto cum Excommunicatis publicè denunciatis agendum esse probè norunt, sub penis ab ipsis Sacris Canonibus in eos, qui secus fecerint, constitutis.

§. 6. Cæterum cum exploratum sit tam præfatum cognominatum Rivalta, qui præmissa ab eadem Saculari Potestate edici, & ordinari petiit, ac inestit, ut præfertur, quam cognominatum Perronum, qui præinserto Edicto subscripsit, nec non Petrum Mariam Prielli Typographum, qui illud suis typis impressit, aliosque omnes, & singulos cujuscumque pariter status, gradus, ordinis, præminentia, & dignitatis, quantumvis sublimis fuerint, qui eadem præmissa mandantur, ac ordinantur, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam præstiterunt, aut in eorum sequelam, & executionem gesta approbarunt, & rata habuerunt, seu alias in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes, & penas Ecclesiasticas à Sacris Canonibus, Generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim literis die Cænz Domini singulis annis legi, & promulgari consuetis inflictas eo ipso incurrisse: Noverint idcirco illi omnes, etiam specialissimè mentione digni, à censuris, & penis hujusmodi post debitam, ac condignam Ecclesiæ realiter, & cum effectu præstitam satisfactionem, non nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo constituti, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, atque cum reincidentia eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari posse, prout earundem tenore præsentium pariter decernimus.

§. 7. Facultatem insuper quodcumque procedendi ad alia severiora remedia, quatenus prædicti Ecclesiastica libertatis Violatores in sua contumacia persistentes censuras, & penas hujusmodi animo, quod absit, susceperint indurato, Nobis, & eidem Apostolicæ Sedi expressè referantes, Ac decernentes pariter easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præminentia, & dignitatis existant, seu alias specificè, & individuè mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causaque, propter quas præsentibus emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuumque expressionem requirente, defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in contrarium vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut

impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; Sed ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quæcumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quoruncumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, ac quorumvis Monasteriorum, Conventuum, Ecclesiarum, locorum piorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Monasteriis, Conventibus, Ecclesiis, & locis piis prædictis, illorumque respectivè Superioribus, aliisque quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissimè mentione dignis à Sede prædictâ ex quacumque causâ, etiam per viam contractus, & remunerationis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, regali, aliave quâlibet mundanâ, vel Ecclesiasticâ Dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantumcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Privilegiis, & Indultis hujusmodi mentionem. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specificæ, expressæ, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus; & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Ut autem eadem præsentibus literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas seu eorum exempla ad valvas Ecclesiæ Latera-

Derogatio
contrario-
rum.

Affixio præ-
sentium in
Urbe vim
habeat per-
sonalis inti-
mationis.

nen-

nenfis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curieque generalis in Monte Citorio, & in Acie Campi Flora de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimata fuissent; Utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datuin Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxv i i i . Julii MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno XIII.

F. Oliverius,

Fides habenda Tran-
scriptis.Dat. 28. Ju-
lii 1713.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo tertio, Indictione sexta, die vero decima quarta Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimo tertio supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curie Generalis in Monte Citorio, in acie Campi Flora, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Jacobum Vasellum Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Magister Curforum.

LXIII.

C O N F I R M A T I O

Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum super Cultu immemorabili S. Liberati de Lauro Ordinis Minorum Regularis Observantiæ S. Francisci, Provinciæ Marchiæ.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

ALIAS, & nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, emanarunt in Causa Servi Dei Liberati de Lauro, Sancti nuncupati, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ad supplicationem dilecti Filii Lucii à Turricellâ Fratris expressè professi Provinciæ Marchiæ dicti Ordinis, ac Lectoris Jubilati, & ejusmodi causæ Postulatoris, duo decreta tenoris sequentis videlicet: Camerinen. Servi Dei Liberati de Lauro Ordinis Minorum Sancti Francisci Sancti nuncupati. Demandatâ per Sacram Rituum Congregationem sub die 22. Junii MDCLXXXVII. amotione Imaginum prædicti Servi Dei ab Altaribus, Ecclesiis, & Claustris Conventuum prædicti Ordinis, in quibus depictus erat in lectulo decumbens, cui Beatissima Virgo Virginibus, & Angelicis associata Choris, liquorem propriis manibus ministrabat, recursum interposuerunt ad eandem Sacram Congregationem Patres ejusdem Ordinis, allegantes cultum eidem Servo Dei intra, & extra præmemoratum Ordinem sic, & aliàs, atque multiformiter exhibitum extitisse, nedum per centum annos ante Decreta fel. rec. Urbani VIII. sed per quatuor, & ultra sæcula, ac proinde humiliter insistere pro mantentione prædicti Servi Dei in eodem cultu absque ullâ innovatione, quæ læderet possessionem, in quâ pacificè erat à præmemo-

rato immemorabili, ac legitimo tempore: Unde Sacra eadem Congregatio præfixo; & pluries rogato eidem Ordini tempore ad probandam eandem immemorabilem possessionem, sub pœnâ remotionis cujuscumque cultus eidem Servo Dei quomodolibet præstiti, in se ejusdem Causæ cognitionem benignissimè suscepit.

S. I. Quamobrem allato ad ipsam per Religiosos ejusdem Ordinis, & Provinciæ Marchiæ (in quâ adest Conventus cum Ecclesiâ sub titulo Sancti Liberati, ubi, ut à Reverendiss. Episcopo Camerinen. ascritur, ipsius, ac Beatorum Humilis, & Pacifici ossa requiescunt) authentico Processu, unâ cum Sententiâ super præmissis cultu auctoritate ejusdem Episcopi Camerinen. Ordinarii Loci dicti Conventus, ritè prolata: Nec non instituto super præmissis omnibus iudicio, & prætendentibus subinde Postulatoribus non esse necessariam in casibus similibus propulsioni contrarietatum Commissionem manu Sanctissimi signatum; eadem Sacra Rituum Congregatio pendens plura afferri in comprobatione præmemorati cultus, quæ in præsentis casu indigebant speciali dilucidatione; producebantur siquidem nonnulla eidem Servo Dei uti anonymo, vel incognito ab Historiatoribus attributa, & alia pariter, quæ ipsum cum alio quodam Liberato Maceratense Congregationis Cœlestinorum, seu Clarenorum ejusdem Ordinis confundere poterant, ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Vallemani pro Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Carpinea Ponente, Sacra eadem Rituum Congregatio, audito tam in scriptis, quam in voce D. Prospero de Lambertinis Sacre Consistorialis Aulæ Advocato, & Reverendissimi Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris Coadjutore, rescribendum censuit: Causam indigere signaturâ Commissionis in casu, de quo agitur. Die vii. Septembris MDCCIX. Ita reperitur in Regestris Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum. In quorum fidem &c. die 3. Augusti MDCCXIII. Loco + Sigilli. Gratif. N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus Sacre Rituum Congregationis Pro-Secretarius: Camerinen. Servi Dei Liberati de Lauro Ordinis Minorum Sancti Francisci Sancti nuncupati. Orta controversiâ in Sacra Rituum Congregatione: An cultus ab immemorabili tempore, juxta Postulatorum sensum Sancto Liberato prædicto præstitus, essetne permittendus, seu potius removendus, eadem Sacra Rituum Congregatio sub die vii. Septembris MDCCIX. censuit, antequam ad discussionem dubii super casu excepto à decretis fel. rec. Urbani PP. VIII. deveniretur, necessariam esse dubii propositionem super signaturâ Commissionis, ideoque disputato dicto dubio, an esset signanda Commissio. Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Prolomei pro Eminentiss. & Reverendiss. Cardinalis Carpinea Ponente, & ad instantiam Fratris Lucii de Turricellâ Ordinis Minorum de Observantiâ Sancti Francisci dictæ causæ Postulatoris, audito prius tam in voce, quam in scriptis R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, respondit: Pro nunc non esse locum signaturæ Commissionis, & nihil esse innovandam super cultu eidem Servo Dei præstito, firmo tamen remanente Decreto in hac Causâ edito die xxii. Julii MDCLXXXVII. super amotione Imaginum dicti Servi Dei, cui in lectulo decumbenti Beatissima Virgo Angelicis Choris associata cibum ministrabat, si Sanctiss. Domino Nostro placuerit, die xxviii. Januarii MDCCXIII. Factaque deinde per infra scriptum Pro-Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, die 17. Februarii ejusdem

anni